

2885

LITURGICI.

2886

probitatis indicta cum ante oculos agitis iudicis cuncta cernentis. E nomine Autoris corrupto extundo *Arseninum Patavinum Grammaticum*, qui circa an. 1216. *Quadrigam* edidit constantem Regulis grammaticis, Sententiis, Proverbiis et Epistolis visam in antiquis membranis *Bern. Scar-*

deonio, ut ipse testatur de *Antiquit. Urbis Patav. &c.* p. 229. Itaque hujus *Quadrigae* medium Codex noster exhibet, in cuius Theca anteriore varia notata leguntur, e quibus conjicias, eum alicubi circa *Coloniam* conscriptum fuisse. Inter alia Dicta istud occurrit:

*Benedicite**De la Jeunesse de nostre frere de Barry.**De la saigesse de duc de Calabre.**De haultre cudance (cuidance, cogitatio) de Bourbon.**De lorgeul de celluj de Brytaine.**De puissance de conte de Charloys.**Et de lorribilite de Conte darmyniack.**Libera nos domine.*

Quod deinceps et germanice redditur.

DCCXCVIII.

75 Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 249. f. nigro rubroque paene alternis scriptus hunc praefert titulum: *Instrumentum Liturgicum cum suo apparatu, continens videlicet omnia christianae pietatis officia per totum annum solennia, secundum catholicae veritatis stylum e sacris potissimum literis confectum &c.* Invenias itaque hic Schemata Horarum Canoniarum, Sacrificiorum Missae, aliorumque sacrorum Rituum formulas, sed quae ferme semper a recepto Ecclesiae usu abludant,

ita ut ignotus hic autor limam illi, si Superis placet, adhibere voluisse videatur. In novos ubique *Hymnos*, novas *Praefationes*, *Orationesque* incurras. Delibabimus quaedam. Oratio ad primam *Missam in Nocte Nativitatis Domini* ita corrumpitur: *Deus, qui banc pacatissimam noctem ueri luminis ortu fecisti clarescere, fac etiam quæsumus illuminari nos interius, illustrari exterius, carere tenebrarum offensionibus, et lucere charitatis omniumque uirtutum aliarum operibus. Per ipsum Dominum &c.* Eleganti hymno in *Festo D. Johannis Bapt. Antra deserti &c.* substituitur sequens:

Mira

2887

C O D I C E S

2888

*Mira sed regni series superni
Cepit et mire. Puta quod fidele
Exigit cor, ac magis in futurum
Mira dat ævum.*

*Cum senex esset Zacharias orans
A Deo dandæ populo salutis
Nempe promissum per in orbe
Christum
Carminè Vatum &c.*

Praefatio Paschalis sic concipitur: *Vere dignum et iustum est, bonum et salutare — Quia debellatis Inferis, morte etiam prostrata captiuitatem hæreditariam no-*

stram dissoluisti &c. Sed ineptiarum satis! quæ fortassis, ut subolet, ad *Paulum Scalichium* pertinent.

DCCXCIX.

405 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 67. 4. commode scriptus, rubricisque enotatus est Opus de *Mysteriis Missæ Innocentii III.* qui ante Pontificatum vocabatur *Lotbarius* et an. 1216. supremum habuit. In hoc *Codice*, fecus ac in *Cod. CCXXV.* inscribitur: *Incipit prologus in librum sacramentorum domini Innocentij pape III.* Initium Prologi: *Tria sunt in quibus precipue lex diuina consistit &c.* Prologum excipiunt *Capitula prime particule.* In VI. enim *particulas* aut libros tota *Tractatio* dispescitur, quos semper *Capitulum Elenchus* præcedit, eorum tamen numero, nec cum *Cod.* mox *cit.* nec cum *Editis* semper conspirante. Ultima sunt: *totum (Missæ Canonem) continue censui subscribendum.* Qui tamen non comparet, *Librario*, ut putem, eundem alioquin fat notum arbitrante. Ejus loco addidit: *Explicit liber sacramentorum domini ac uenerabilis pape Innocentij.* Totus ita pium et Deo conjunctum hominem loquitur, ut non

nifi aegre credas, quæ *Scriptores* quidam de *Ejus* fastu et *dominandi libidine* tradidere. *Adi et Cod. CCXXV.*

DCCC.

Codex membraneus lat. Sec. 426 XII. Folior. 86. 4. probe scriptus, rubricisque distinctus, olim *S. Mariæ V. in Speciosa Valle* seu *Schönthal* O. Cist. non procul *Mergenthemio*, varia complectitur, et quidem I. *Expositionem Missæ* prævio hoc *Monito* miniato: *Opusculum de actione Missarum quod subter annexum continetur collectum quam maxime est ex verbis Sanctorum Patrum. Cypriani. Ambrosii. Augustini. Ieronimi. Gregorii. Fulgentii. Severiani. Vigilii. Ysidori. Bede. Auiti. Que suis Locis per singula Litterarum nominum que forinsecus (ad marginem) prenotantur ostendunt. Sed et ex antiquis mysteriorum (Liturgiarum) libris quedam uerba necessario sumpta sunt &c.* Sequuntur *Loca* quaedam *PP.* in quibus generatim de *Altaris Sacrificio* agitur: *Augustinus. In mysterio corporis*